

quam dubitasse, quin si in meo fundo frumentum tuum seuerim, segetes & quod ex messibus collectum fuerit, meum fieret. Id ipsum enim, de quo neminem vñquam dubitasse asserit, dare omnino & Proculeiani poterant. Loquitur enim **IVLIANVS** de domino, qui ipse seuerit. Nam quum in satione operae illae consistant, ex quibus fructus acquiri dicebant, huic omnino consentaneum erat, dominum, qui seuit alienum frumentum, segetem acquirere, quasi operarum suarum fructus.

§. XIII.

Denique & hoc addamus, quod multum existimamus ad sententiam nostram probandam valere, fieri non posse, vt **POMPONIVS** ita cum **PAVLO** concilietur, vt nulla amplius dissensio supersit. Nam quacunque arte & ratione interpreteris verba illa: *sicuti nec cuiuslibet bonae fidei possessoris*, vt neges, iisdem generaliter asseri, bonae fidei possessorem acquirere fructus tantum industriales, non vero naturales, id tamen certe nulla arte efficies, vt neges, **POMPONIVS** *rationiūgi* fructus tantum industriales rei a coniuge donatae tribuere, naturales vero denegare. Hoc autem si concedis, vt certe concedere debes, dissentientes ab eo habebis, hac quoque in re, **VLPIANVM** & **IVLIANVM**. Manifeste enim vterque omnes rei donatae fructus, absque omni distinctione, coniugi tribuit. Ita enim **VLPIANVS** scriptum reliquit: a) *Si maritus uxori pecuniam*

E 2

*dona-*a) in L. 15. §. 1. D. *de donation, inter vir. & uxor.*